



1.  
1.  
2.  
31  
36  
44  
5.  
6  
7.



DISSERTATIO CIRCULARIS MEDICA,  
EXHIBENS

**MEDICINÆ**  
**CURIOSÆ SPECIMEN,**  
DUABUS QUÆSTIONIBUS.

- (1.) *Quid de Pilorum canis rabidi impositione Vulneri per ejus  
morsum inducto facta tenendum?*  
(2.) *An Abrasio pilorum operari possit, ut rei facilius à tormen-  
tis victi veritatem confiteri teneantur?*

ENODATUM,

Quam  
AUXILIANTE DEO,  
PRÆSIDE,

RECTORE MAGNIFICO,

**DN. JOH. ERNESTO  
SCHAPERO,**

MED. D. E. JUSQ. P. P. DUC. ORD. FACULT. SENIORE

ET p. t. DECANO, SERENISS. ET POTENTISS. DUCIS

REGENTIS MECKLENBURGICI ARCHIATRO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE SUO,

*Omni Observantiae & honoris Cultu atatem prosequendo;*

IN AUDITORIO MAJORI

AD DIEM XV. JULII MDCCV.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

**JOH. GOTHOFRED. Germani/  
GÜSTROVIENSIS.**

Rostochl, Typis Joh. Wepplingl, SER. PRINC. & Acad. Typogr.

A6

1705, 3.

45



OPUSCULUM MEDICINAE

# MEDICINAE

## CURIOSAE SPECIMEN

AVGVSTI VESLINGII

OPUSCULUM MEDICINAE  
CURIOSAE SPECIMEN  
AVGVSTI VESLINGII  
M.D.C.C.C.

ENODATUM

AUXILIANTE DEO

PRAXIDE

RECTORE MAGISTRO

# DR. JOH. ERNESTO

## SCHAFERO

M.D. DEINDE P. DUO ORDINIBUS SENIORIS

ET PATRIAE DUCIS

REGII MEDICINAE DOCTORIS

PATRINO RECEPTORE AC HOSPITIS

GEN. OBSERV. ET HORT. CURA ANNO 1700

IN ALBINO MAGISTRO

IN ALBINO MAGISTRO

MAGISTRO JOH. ERNESTO SCHAFERO

# JOH. GOTTFRED. GILMANN

RECTORI JOH. ERNESTO SCHAFERO





Ad  
Nobilissimum Dominum  
RESPONDENTEM.




**F**X eo tempore,  
qvo Te studio de-  
vovens medico no-  
men tuum apud me  
professus es, & meæ  
Te mancipasti pri-  
vatissimæ institutioni, singularem  
in te animadverti ardorem inde-  
fessâ sociatum industriâ; hinc id  
mihi negotii fuit, qvo & nutrirerem  
& excitarem utrumqve tam feli-  
cî hactenus successu, ut, qvod in  
opere faciundo operæ consumsi  
meæ,



meæ, apud Te tam pulchrè col-  
locatum esse, tacitus mecum gau-  
deam. Experimentum ejus hodiè  
illustri dabis Auditorio in defen-  
denda sub præsidio meo præsentì  
dissertatione. De hoc instituto lau-  
dabilì Tibi meritò gratulor, & me  
non vanè augurari pervalusum,  
si dixero: ulteriori eadem tua,  
quâ hactenus progressus es, indu-  
stria ad tantam maturitatem tua  
accrescere posse studia, ut inde  
utilitatem insignem Republica,  
decus familia, & solatium certum  
ægri sperare, imò sibi spondere  
aliquando possint. Id quod ani-  
mitus precor

PRÆSES.





## QVÆST. I.

Quid de Pilorum canis rabidi impositione vulneri  
per ejus morsum inducto facta tenendum?

§. I.



T à Cane rabido demorſi homines ad miraculorum frequentâ celeberrimum in rodiginis paludibus reperibile & affluxu hominum notiffimum divi Bellini Sacellum, & alii ad divi Donini templum olim confugiebant, ubi in priori clave, qua Sacelli valvæ recludebantur, candente attackti illic reſtituebantur, *vid. Calius Rodiginus Lib. 17. leſi. antiq. cap. 28.* & in poſteriori quibusdam exorcismis & panibus characteribus obſignatis à Sacerdotibus perquam facile ſanabantur. *vid. Martioli Comment. in cap. 37. lib. 6. Dioscoridû;* ita à multis ſeculis & adhuc hodiè contra canis rabidi morſum & ipſi ſupervenientem hydrophobiam uſitatum à plurimis remedium vulneri dant impoſiti canis rabidi mordentis pili; Ut tale quid apud Geſnerum de quadrupedibus p. 187. & Joſtonum de quadrup. p. 178. legimus, & Plinius refert, *hiſtor. natural. lib. 29. cap. 5. p. m. 279.* dum quidam inquit, ut tuerentur à Pavore aqua in morſu canis rabidi pilos de cauda canis combuſtos inſuere ſvè impoſuere vulneri. Et Blondus Libro de Canibus dicit. *Pili canis in vulneribus, que canis homini inſiſxit, impoſiti, & ſanguinem compeſcunt, & Vulnus defendunt, quo minus ulcus rabidum fiat,* ut taceam alia è Ponzetto, Galeno, & aliis autoribus adducta ſimilia loca.

§. 2. Valdè notum igitur acceptumq; hocce remedium plurimis eſt, ut adhuc hodiè quam primum Vulnus à rabido cane inſiſctum vel vident, vel audiunt, tanquam certiffimum remedium illic imponi ſvadeant *quemadmodum id quoque jubet Blondus;* & à plebeculâ fieri refert *Pauli in cynograph. curioſ. p. 137.* ut hinc parum abſit, quin ſi origo determinari debeat, ab

A

oraculo



or aculo quodam inventum, ut radix Cynorrhodon juxta Plinium  
olim, multis habeatur. Quod autem non determino, nam anti-  
quorum facilis hic mos erat, ut morborum species & auxilia ad  
delubra Deorum suspenderent, & ut de veritate non dubitare-  
tur, autores eorum vel Deos vel Deorum filios fingerent. Nec  
dicam, an tantum Vulgi inventionem & memoriâ hocce constet re-  
medium, nam porrò ægrotos in forum & Compita exponebant,  
& prætereuntes, quorum maxima pars è plebe erat, adstringe-  
bant legibus, ut manifestarent, quicquid huic vel illi malo auxiliû  
scirent. *vid. è Strabone, Herodoto, Plutarcho ea referens Langius  
Epist. Med. Lib. 2. p. 526.* Sufficit, quod non facile quisquam de effi-  
caciâ dubitet, aut non nisi certissimum remedium audiverit, & ad  
avertendum è morfu canis vel rabiosi vel alius mordentis damnum  
ipsius pilos anxie quærant, Vulneriq; imponant. Ut id quoque  
asserit *Paræus lib. de Venenis. p. 584.* qui hocce certum & pluries  
expertum certum eventum habuisse remedium recenset. In me-  
dium hic relinquo anne ejus ex certitudine sperata & effectu sym-  
pathiæ tributo enatum inde proverbium sit, quod consilii & re-  
medii loco ut plurimum iis, quos crapula altero die gravi dolore  
capitis affligit, dari solet: *Leget Hunds-Haare drauff; ut scil. Cra-  
pulam, crapulæque nocumenta per crapulam fugent, atque re-  
moveant; quanquam è Plinio Gesnerus de quadrup. de Cane Lib. 1.  
pag. 187.* Caninos panno alligatos pilos in capitis doloribus com-  
mendet, horum vero hoc in casu non haberi rationem vel ex eo  
constat, cum se inebriantium mos sit, ut per crapulam mox succe-  
daneam prioris crapulæ incommoda tollant.

§. 3. Notum sic & acceptum certissimumque remedium  
porrò est sympatheticum, ita enim audimus *Paræum lib. de Venenis.  
p. 584.* Scribunt, inquit, *Canis, qui rabiem morfu intulerit, pilos per  
se impositos substantia concordia, seu similitudine Venenum intus fo-  
ras elicere, ita enim Scorpium contritum puncturæq; quam inflixerit,  
impositum evocato immisso Veneno sanitatem restituere narratur.* Os-  
waldus Crollius in *Tract. de signaturis rerum internis p. 50.* Canis  
rabidi mortui ejusdem canis primò pilos impositos ab extra vul-  
neri venenum attrahentes tradit; *Jonstonus de Quadruped. Hist.  
Natur. p. 178.* idem refert, & si Theatrum sympatheticum *Sylve-  
stris*



*Aris Rarior* evolvamur, inter remedia sympathetica & pili canis rabidi Vulneri impositi hydrophobiam arcentes recensentur. p. 18. & qui alii plures sunt autores, quos brevitate ergo hic reticeo.

S. 4. Morbus autem quem pili canis rabiosi Vulneri impositi arcere & avertere dicuntur horrendus est; Nam rabies est, cui supervenit hydrophobia & juncta postea ad extremum vitæ halitum manet. Negari quidem non potest, quod mortuum canis rabidi sæpius non presso pede sequatur rabies, sed præter dolorem in parte ubi morsus est factus, nil illico adsit, & ad multas septimanas sæpè lateat, hinc Fracastorius *lib. 2. de Morb. contagio. cap. 10.* rarissimè ante Vigésimum, post trigésimum autem ut plurimum diem, in nonnullis post menses aliquot annosve manifestari rabie hoc Venenum asserit, quod Galenus post annum *i Porrbes. Sect. 2. Com. 17.* Petrus Salius *diversus de aff. Particular. lib. 1. ad quintum, septimum, imo duodecimum annum determinant. vid. etiam Horst. Op. med. Tom. 2. lib. 7. obs. 22. fol. 312. Zacutus Læsi. Prax. admirand. lib. 3. p. 386. Albertus Magn. lib. 7. de animal. Cap. 2. Guilielm. Fabr. Haldanus cent. 1. obs. 86. fol. 65.* & alii ad septimum decimum annum. *Vid. Ant. Musa Brassavolus Lib. 2. Aph. Com. 23. ad octavum decimum. Guinerius Traß. de Venenis, Eph. Germ. A. N. C. dec. 1. Ann. 9. obs. 43. p. 117.* ad viginti annos illud extendunt, & alii ad triginta *vid. Borell. obs. 74. Cent. 1.* imò ad quadraginta annos latere posse autumant. *vid. Stalp. V. der VViel cent. 1. obs. p. 424.* Interim tamen nunquam ejus tuta hic fides est, & quocumque id fiat anno, perinde est, sufficit, quod, dum febris post mortuum oboritur, totius corporis rubor, & præsertim faciei, gutturis inflammatio, & deglutitio impedita, tenebræ, oculis obvolitantia superveniunt, & ætus insignis, porro præcordiorum argustia, respiratio difficilis, anxietates, sitis inexhausta argent, pulsus concitati fiunt, Convulsiones apparent, Vox rauca auditur, Lingva est aspera, & canis ad instar rabidi educta, metus oboriatur morbi horrendi rabiei scilicet, qui augetur, dum imaginationes & visiones horribiles ægri produunt, cum ipsa denique rabie canina, & aquæ & omnium liquidorum ac lucidorum metu & averfione, qui horrendus sic omninò morbus eousque auctus & simul tragici eventus est. cum



stupendis animæ & corporis anxietatibus agitur, & nulla earum remissio speranda, usque dum morte finiantur.

S. 5. Nimis prolixus forem, rabiem ipsam si describere vellem, qua ratione instar canis currant, latent, ledeant demorfi, manibus pedibusque incedant, invadant, ac mordeant instar canis rabiosi, sicque indolem omnino caninam induisse videantur, si quidem præter Forestum lib. 10. de cerebri morbis. Obs. 28. de iis abundè referunt observatores Medici, nec propositum hic est ex professo de hac rabie agere, sed tantum determino, horrendum esse morbum, qui remedia omnia & exquisitissima ut vocant, antidota respuit, & non nisi morte finitur, eaque ab horrendis malis & anxietatibus ægrum liberat, id præter Ovidium qui cecinit:

— — — medicina — — —

*nec formidatis ulla medetur aquis,*

testantur Dioscorides cap. 36. Lib. 6. Egineta Lib. 5. cap. 3. Aetius *Terribilib.* 2. Sermon. 2. cap. 24. Rudius *de morb. occult.* cap. 13. fol. 132. Cordronchus *de Hydrophobia* fol. 209. Rodericus à Fonseca *Consult. med.* 25. fol. 90. & alii. Quorum testimonia ad unum omnia eò collimant, neminem sanari, ubi insigni rabie & potissimum hydrophobia confirmatum malum est. Et quanquam exemplum summam omnino admiratione dignum apud *Guilielm. Fabric. Hildanum obs.* 86. *Cens.* 1. *Cbir.* obs. fol. 65. legamus, ubi matrona quædam à cane rabido demorsa sæpius à rabie curata fuit, sopitum tamen tantum malum, non deletum habebatur, & ex eo quod à cane rabido vulnerato & iterum consolidato in brachio tandem post annorum septem, & 14. & viginti intervallum postea singulis ferè temporum mutationibus vellicationem senserit, ad quam per tot annorum decursum quatuor vicibus recidiva secuta erat, metus omnino justus erat, ne brevi vitam anxiam & calamitosam cum morte commutaret, præterea nunquam à potu abhorruit ægra, nec liquida, quæ sitim extinguere valebant, rejecit, quod ultimum potissimum malum confirmat, & reddit immedicabile, ubi nil quicquid adhuc salutiferum & salvare ægrum posset, admittitur, sed respuitur omne & nemo innoxie eos accedere potest; seu ut *Cornelius Celsus de Medicina L. 6. cap. 27. p. 308.* loquitur: *misererrimum morbigemus, quo oppressis in angusto spes est.* Manet sic veneni vis horrenda &



da & insuperabilis, & horrendum atque tragici eventus sistit morbum.

§. 6. Huic igitur stupendo malo, ut superius dictum, occurrunt sympathetico remedio, & de effectu non dubitant, scilicet si ab inflictio vulnere mox pili imponantur. *vid. Blondus cit. Libr.* quod eâ ratione eò magis gratum est, cum facile obtineri possit, & ore nil assumi debeat, quod alias vel copiâ vel sapore vel odore molestiam & tadium parit; nec cucurbitulas dolorosas, nec scarificationes profundas, nec ligaturas dolorificas perferre ægri cogantur, nec sic æq; necesse est, ut aquæ inopinatò immergantur, à quâ plurimi metuunt cum primo obrutu evidens mortis periculum sensibus sitat, & terrorè excitet subitaneum; à quibus tot sustinendis molestiis abhorrentes morsum multi facile contemnunt, imprimis eū levis sit, aut non valde doleat, & eligunt potius hocce externū remedium, quod etsi omnia periculosa non avertere posset symptomata, à pavore aquæ tamen tueri demorsum dicitur. *vid. Plinius. Hist. natural. lib. 29. c. 5. p. 279.* qui demum morbum reddit immedicabilem, quo deficiente plurimos demorsos cum aliis gravibus symptomatibus restitutos legimus apud *Valleriolam, Param, Forestum* & alios. Et si fides rei habenda est. nec post impositionem pilorum illicò à morsu rabidi canis factam reliqua horrenda citra hydrophobiam evenient, nam juxta relationem *Paræi, Crollii, Jonstonii* & aliorum Venenum attrahunt Pili & eliciunt foras, ubi sicnil ejus relinquitur, & nulla periculi plena metuenda est efficacia.

§. 7. Venenum autem quod Pili canis rabidi impositi vulnere foras elicere dicuntur, est saliva ejusdem Canis, multis particulis naturaliter ut in homine sic in cane imprægnata, quibus partim duriora citius præ reliquis fluidis emollit, partim resinosa & gummosa resolvit, mercurio currenti compedes injicit & habenas, Lichenes abstergit, Vulnera sanat, fermento ventriculi & addit robur & concoctioni s. digestioni ciborum magnum addit momentum. Sic remedii quoque loco plurimis est, & *Paracelsus Basilee* nobilem quendam deploratæ valetudinis hominem cum restituere vellet, salivam hominis sani vehiculum suo laudano penetranti ordinabat, *vid. Taik. chrysolog. p. 17. In-*



Oculorum affectibus variis, imo in cæcitate, vulneribus, tumoribus ulceribus, tuberculis hæmorrhoidalibus, arthriticis insulibus, nodis & obstructionibus aliis efficax, & mederi moribus canum rabidorum dicitur, ut canis rabidi salivâ rabiem inducit, simili prorsus modo, ac à venâ qtanariæ salivâ pulmento infanti propinando mista & cum eo exhibitâ pusto trium septimanarum vegetus & lanus derepentè corripitur singultu, calore, vigiliis, inquietudine & similibus, & multi alii morbi scorbutus & si qui alii salivâ communicantur. Ut hæc omnia è doctrina excellentissimorum Medicorum & experimentis certissimis ab undè constant, *Epib. Germ. A. N. C. de 2. A. 6. p. 149. & Nuck in Anat. Saliv. p. 48. & sz. recensent.* Accedit ætheris insignis copia in salivâ divertarum partium poris delitescens, quæ tanta etiam est, ut per Antix pneumaticæ experimentum vel Spiritus Salis Ammoniaci ætherem superet. Hinc jam facile novimus rationem, cur corpora quibus saliva miscetur, tam facili fermentent negotio; nam vino permixta novam inducit fermentationem & syrupi omni arte & diligentia parati ad toddium Pharmacopœi facilem concipiunt fermentationem, si spatulâ salivâ madidâ frequentius agitentur. Ut nil dicam de facili reliquiarum ciborum inter fissuras dentium hærentium putredine, eaque molestâ, tantum addam de potu cruentis in epulis Brasiliensium consveto, qui ex Manduyccâ vetularum edentularum masticatione & per salivæ miscellam succedaneâ fermentatione paratus est *vid. Mundius de ære vitali, p. 344.* Quæ omnia activum probant salivam liqvoem, ut hinc multi menstruum universale ex eâ destillare, alii vicem liquoris Alkoholi analogam ei tribuere voluerunt. Taceo ipsam salivæ analysin chymicam, nam Spiritus volatilis, salis Lixiviosi olei & Spiritus acidi temperari aliquid obtineri docent Chymici, & talis salivæ polychrestæ contra febres, morbos ventriculi, Cachexiam, hydropem, laudabilem extollunt efficaciam, siquidem ut ut diversas recensuerim partes, nondum tamen omnes detectas esse autumo, nam è sanguine soboles est, cui *Hippocrates Cous libro de Prisca Medicina* & amarum & salum, & dulce, & acidum, & acerbum & insipidum & sexcenta alia inesse dicit.



§. 8. Inter tot salivæ heterogenea singularis tamen mixtura est, & connubium peculiare, ut nisi insigni quâdam, labe sanguis in fectus sit, insipida ut plurimum observetur, semper tamen apta coire ac misceri cum anoquoque alio. Hoc experimentis edoctus Nuckius de saliva seq. refert; cum quam plurimis liquoribus, tum acidis, tum alcalicis variisq. spiritibus hæc sese admisceri patitur saliva: sive enim cum urina, cum sale absynthii, Liqvatolo liquore tartari aquâ facti, Spiritu salis, Spiritu Nitri, Spiritu Nitri Vitriolato, oleo sulphuris, oleo Vitrioli, spiritu salis Volatilis, Spiritu urinae, spiritu Volatili C. C. spiritu Volatili sanguinis humani, alcohol vini, sive, inquam horum aliquo admisceatur saliva, expertus novi, post leniorem Luctum sese omnibus & singulis, associare, & de colore parum tantum mutatum iri. vid. Anat. Saliv. Nuck. p. 24.

§. 9. Protheus sic saliva est, & ut merito Philtrum naturale habendum, quò inter amantes novum amoris incitamentum osculis exsurgit, dum Lingvas salivâ madidas osculationibus miscens, sic præter naturale idem est, & suo contactu variè magnis cum symptomatibus operatur. Et neutrum mirabimur, cum enim ut constat è §. 7. magnum ætheris copiosi vehiculum sit prodiversa ætheris indole etiam diversimodè vel ad salutem vel noxam agit. Experimentum effectus nocivi hodiè dat saliva canis rabidi morfu communicata homini, hæc non tantum naturalibus consuetis quas descripsimus particulis imprægnata, sed pluribus iisque in solis scatet, quas sanguis ejus turbatus & nimium ebulliens extrusit, & simul æthere nostro sanguinis ætheri peregrino abundat, quem intra poros reconditum habet, & qui fermenti vicem constituit peregrini. Efficax sic saliva est rabiosi animalis, tantâque vi agens habetur, ut omnia reliqua animalium venenatorum Venena superare vel ideò colligendum sit, cum alias quando viperæ Venenum periculosissimum vulnere instillatum nocet, ore autem assumptum non noceat, sed impune deglutiri possit, hæc canis rabidi saliva juxta Autorum medicorum observationes sive ore sumptum, sive respiratione admisum, sive morfu communicatum, ubique lethale sit.

§. 10. Dum



§. 10. Dum autem morsus fit, rabiosus canis dentibus suis aliquam conterit partem, & eo ipso fibrillas à circulantibus humoribus & spiritibus animalibus continuò debita copiâ affluentibus tensas comprimit, multas rumpi & resilire in cincinnos facit, simili profus modo, ut chordæ tensæ resiliendo in se ipsos variè flectuntur; fieri id non potest, quin adstantes proximos occludant tubulos & humorum ex circulationis lege affluentium profluum impediant. Eo ipso momento igitur, quo morsus fit, & rabiosi canis saliva fibrillas tangit, iis adheret imò in factam vulneris cavitatem instillat, nam copiosa est, dum ex ore canis rabidi spumante emittitur, & è naribus teter effluit mucus. *vid. Vigierus in Chirurg. & Forest. obs. lib. X. obs. 27. p. 350.* Hæc peregrina & humoribus mista suo adverfo vortice cum iis luctatur, in illo spatio, quod tubuli partim compressi, partim è cincinnis fibrillarum recessarum obstructi, partim sanguine extravasato angustati relinquunt. Fieri tale quid non potest, quin spirituum major fiat influxus, & simul insolita fibrarum tensio, quâ auctâ & dolor & auctus dolor & tumor oriuntur, & labia vulneris inficti tumida fiunt. Inter illa angusta spatia saliva particulis plurimis & suo athere peregrina & copioso eo agens. vel citius vel tardius latè serpit prout repagulis, in quibus conclusa tenetur, plus minus fortior est, ex poris arteriarum humores exclusos per tubulos partium circulantes corrumpit, & tandem ipsum sanguinem diversimodè texturatum reperibilem inquinat, cum quo tandem post novas & insolitas luctas miscetur, nam ut §. 8. indigitatum, apta saliva est, coire & misceri cum unoquoque alio, & in tragicos casus & effectus in rabie canina reperibiles agrum deducit.

§. 11. Tale horrendum igitur ut avertatur, Pili canis rabidi imponi solent Vulneri. Qui ex abjectissima sanguinis parte producti habentur *vid. Chirurg. Barbeete cum notis Mays p. 364.* & curis appendiculæ in tutelam canis sunt, ipsi congeniti, & tantâ copiâ, ut pellis omninò iis tecta sit. In originem si inquiramus, è glandulis cutis miliaribus propullulare pilos jam olim dicebat Hippocrates *lib. de glandul. Sect. 3. p. 53.* & Malpighius in *tractat. de externo cutis organo p. m. 209.* refert, Pilos cutis crassitiem intimè penetrare, & rotundo quodam ac musculo capitulo in ovali

INVO.



involuero (glandulis scil. subcutaneis) velut in florali testâ im-  
plantari, ad quod involucrû præter venas & arterias (è quibus  
posterioribus contortuplicacione formantur glandulæ) nervi  
evidenter propagantur, ut & secretio & nutritio pilorum pro-  
moveatur; sic benè nutriti erumpunt foras, & percutis & curi-  
culæ poros inter fibras & vasa interjectos protruduntur; Quam  
sententiam & plurimis experimentis illustrat *Dn. Chirac in Epi-  
stolâ de Pilorum structura ad Dn. Regis data. vid. Act. Erud. Lips.  
suppl. Tom. 2. sect. 9. p. 437.* & seq. & ipsæ pilorum radices glandu-  
losam indolem sapientes accuratè intuentibus se manifestant.

*S. 12.* Non jam inquiram an Pili concavi & ut canales  
pertusi ac perforati sint? ut ex observatione Borelli refert *Kol-  
banus Traß. Opt. Lib. 3. Pars. 2. Sect. 2. c. 2. p. 441.* & sic intra eorum  
cavitatem delitescens medulla perinde ac in ossibus se prodit  
*vid. Griendelii Micrograph. nov. obl. 6.* nec examinabo *Lewen-  
hoeckii* opinionem, an pili ita nascantur? ut quod ante intra cu-  
tem delituerat materiæ glutinosæ id postea extra illam quasi vi  
protrudatur, & cum initio molle sit ac lentum, beneficio aeris  
paulatim siccetur, ex globulis constet, & arborum ad instar  
habeant ex iisdem compositum corticem, *vid. Lewenboek Epist.  
Part. I. de Anat. rer. sope Microscop. decret. Epist. 7. p. 32. & 33.* Nam ut  
ut negari nequeat, quod Pilorum per protrusionem nutritio magno  
gaudeat fundamento, & Pili si cavitatè haberent, & medulla ossis  
medullæ similis inesset, absq; dolore & cutis læsione, rescindi non  
possent, quia pilorum latera pororum cutis lateribus essent con-  
tinuata & nervis intertexta, & præterea medulla eorum ali-  
quali vel minimo vestigio se prodere deberet; non tamen ho-  
diè hanc litem facio meam, sed utrique favere valeo sententiæ,  
quæ Lectori placet, cum scopus meus per ne utram lædatur, sed  
ut insequentibus patebit, utraq; eum promoveat. Hinc ad pilo-  
rum materiam tantum respicio, ut hic necesse est, & ut ad verro,  
in hoc conveniunt plurimi, ne dicam omnes, quod sit seri soli-  
dior pars, juxta *Excell. Wedelii Phys. reform. cap. 8. p. 212.* aut si  
mavis, glutinosa materia, juxta *Lewenhoek.* aut liquor gela-  
tinosus, ut autopsia id quoque probat, dum circa radices pilo-  
rum



rum evulsoꝝ conspicua est gelatina, quæ partem feri solidio-  
rem constituit, dum aëris attingentis & ambientis adjuncto  
flexiles serosæ partes ad abitum & egressum urgentur, & sece-  
dunt in aëris resorbentis poros, gelatinam relinquentes, quam  
in omni perglandulas, secedente & evaporata de hinc Lympha  
deprehendimus, è quibuscunqve etiã glandulis hanc colligere  
licet & placet.

S. 13. Hæc gelatina autem Pilos constituens sive Cavi-  
tatem habeat, ut eam eleganter per latera fibrosa factam recen-  
set Dn. Chirac. in cit. Epist. vid. *Act. Erudit. Lips. suppl. Tom. 2. sect. 9.*  
*p. 437.* sive omni careat cavitate, firmiter cohæret, suis quibus  
constat particulis irregularibus ramosisqve angulis & sibi invi-  
cem sic implicata continua & solida simul constituit corpora,  
quæ exterius non inepte corticem ad instar arborum referre,  
& ex striis inæqualibus intrinsecus consistere dicuntur, quia  
propulsioꝝ vis in mollem gelatinam alia concipienda,  
quam quæ in eandem sed ab aëre induratum fieri potest vid.  
*Lewenboeck cit. Epist. 7. p. 32.* & juxta mentem Dni. Chirac simili  
modo pili augeantur, ut arborum rami in extremitate ampulati  
vid. *Act. Erudit. Lips. suppl. Tom. 2. Sect. 9 p. 439.* Sic ad radicem Pilo-  
rum propulsam vel influens pro nutritione fluidum in pilorum  
angustiora latera impetum exierit pro indole illius corporis,  
quod è majori spatio movetur in minus, & per fibras impetu  
repetito relaxatas transudat ac in superficie pilorum colligitur.  
vid. *Act. Erud. Lips. cit. Loc.* vel sub transpiratione alluens vaporo-  
sum retardatur, & eorum inæquali superficie & aspera facile  
adhæret dum pili in animalibus transpirationem modificant ex  
eo, quod è glandulis subcutaneis erumpens unumquodqve vas  
excretorium evidenti orificio inter pilos in brutis hiet, vid.  
*Malpighius de externo tactus organ. p. 208.* Sic pili ab humoribus in  
trinsecus cum impetu impulsis & ab alluentibus extrinsecus va-  
poribus inquinati sæpè madent, ut etiam molestè splendeant,  
quale quid in animalibus motu frequenti & impetuoso ageratis  
eo prorsus modo observamus, quo in hominibus id quotidianum  
est, ut capilli, nisi sæpius purgentur, à transpirantibus vaporibus  
mado.



madorem obincant & prae se ferant molestum splendorem. Unde  
pflegen alsdann die Haare anzusehen / als wann  
Sie mit Spect geschmieret wären.

§.14. Tales igitur pili canis imponuntur, qui peregrinis &  
iisdem nocivis ac saliva inquinati sunt particulis, siquidem e  
turbato & simul impetuoso sanguinis canini motu ut omnibus  
partibus, ita potissimum glandulis non levis illata vis est, quae  
hinc vibrata copia infrequenti ejiunt insolitos humores,  
quemadmodum in rei ipsius testimonium os canis rabidi large  
spumans & lingua bile infecta, terer quoque est naribus effluens  
mucus luculentissimi ejus interpretes sunt, & si ad observatio-  
nem Avicennae attendere volumus, canis rabidi corpus quan-  
doque pulvis scater, aut ut ipse ait, apostematur & cinereo in-  
ficitur colore vid. *Codronchii Lib. de hydrophob. p. 123.* Quae omnia  
indubitatum argumentum dictorum sunt, & dant auctora-  
tam praesumptionem, salivae morfu communicatae per pi-  
los impositos augeri vim, & suo in quem uterque, Pilorum scil.  
& salivae aether conspirat motu, nisi duplici, aucta tamen ad mi-  
nimum vi agere, & inducere periculum, ne citius sanguini vene-  
num & ejus inevitabilis effectus corpori communicetur;  
quod vel idem omnino inde metuendum est, cum ut §. 9. dictum  
damnum ab eo oriundum nulla ratione averti possit. Siquidem  
vel sola canis rabidi transpiratione, vel per odorem vaporum  
ex cane rabido admissum quosdam in rabiem & hydrophobiam  
incidisse *Celsus Aurelianus Lib. 3. de morb. acut. refert.* per halitum  
observat *Arctaeus Lib. 1. de sign. & caus. morb. acut. cap. 7.* per oscu-  
lum canis rabidi infectum & mortuum notat *Cardanus lib. 2.*  
*contradict. 9. tract. 5.* solo contactu salivam tam horrendum quid  
inducere posse tragico suo exemplo probat foemina, quae vestem  
a cane rabido dilaceratam consuens, & dentibus filum more foe-  
minarum solenni abrumpens in rabiem & hydrophobiam inci-  
dit vid. *Hildanus obs. chirurg. cent. 1. obs. 86. & Ephem. Germ. N. A. G.*  
*dec. 1. ann. 6. & 7. obs. 142.* de Puella recensent. quae salivam tantum  
ex ore spumante catelli domestici hinc & inde corpore nudo  
commaculata hydrophobica facta est. Ex lacte Vaccae a cane rabi-



demorsæ rusticum quendam ejusque uxorem, liberos & alios rabie infectos notat *Timæus à Guldenklæe in casib. Medicin. Lib. 7. de morb. Venenat. & malign. ca. 23.* & *Plinius Hist. natur. al. lib. 29. cap. 5 p. 279.* tantam vim mali dicit, ut urina quoque calcata rabiosi canis noceat maximè ulcus habentibus. Ex quibus omnibus justus sic metus probatur, ex impostis vulneri rabidi canis pilis virulentiam iri auctum, & esse periculum mali eò citius superventuri.

§. 15. Et quanquam suo incomposito situ quem imposti obtinent pili, vulneratam partem blandè vellicare, sic spiritus ut eò copiosius influant incitare præsumi possint, quibus exclusio communicati per morsum veneni promoveri debeat, è tali tamen spirituum influxu nec hic mihi promitto emolumentum, sed potius veneni in laceratis fibris delitescens aut integris sed valdè tensis adhærentis moram longiorem, & sic humorum ex lege circulationis affluentium inquinacionem inevitabilem metuo, nam tali in statu vulnerata pars minorem admittit transpirationem; experimenti loco sic pars quædam dolorifica vel ex arthritide vel erysipelate, eo ipso dum dolor fit, à spiribus plus solito tendi fibras indicium est, & ab iisdem copiosius ob vellicionem ab arthritidis causa factam influentibus magis tendi fibras ad ruptionis periculum, auctus dolor interpret est, & viæ cum angustatæ hinc sint, sic nec transpiratio libera, nec circulantiæ humorum ibi liber transitus sit, junctus est tumor, facilis doloris comes, post dolorem adhuc remanens ex mora humorum retardatorum, usque dum per emollientium vel aliorum lenientium vim spirituum morus suppressus fibræ relaxari & transpiratio liberior fieri ac retardati humores circulari incipient, sic & dolor & tandem tumor remittunt & transpiratione sufficienti restituta pars evadit sana. Nam transpiratio si augeti & porro sudores ex voto succedere debent, somno opus est, siquidem scorbutici facillimo alias negotio sudantes, non conquerruntur de sudoribus, quando vigilant, sed cum somno sopiti sunt, manifestissimo argumento, non hbras tensas sed relaxatas spirituum scil. defectu ad auctam transpirationem requiri. Sic imposti ad moram veneni agentes pili efficiant potius, ut in illis ex fibris  
ruptis



ruptis & laceratis irregularibus cuniculis venenum incuneatur spirituum affluxu, & ibidem ad eruptionem aliquando post menses, vel annos fortitam delitesceret.

§. 16. Accedit, quod Venenum morfu communicatum extra sphaeram impulsus reperitur, & sic ejus delitescencia in rugosis & irregularibus fibrarum sinibus facilius metuenda, quam exclusio speranda sit, nam fluida non nisi vasis contenta habent rationem continui, hinc per arteriarum systolen ad diastolen indefinenter succedaneam e glandulis & glandularum ductibus excretoriis uno quasi tractu foras propelluntur; sed ubi interstitia intercedunt, aut a solidis vicinis solidorum separatio tacta, ad quam nec sanguinis nec spirituum vis ut in reliquis integris solet, penetrare potest, ibi fluidorum & facilis & necessaria quies est. Id quotidiè in omnibus sanguinis extravasationibus notamus, quoties vel casu vel verberibus excessivis oboriuntur; Livor inde apparens & tumor socius quietem extravasati sanguinis abunde probat, & si adhuc quidam impulsus per labefactatas quasdam non verò prorsus morfu laceratas fibras admitti debeat, viæ tamen ab impositis pilis cum irregularibus fiant, & pili molles inæquales & quiescentes sint, executionum Vaporum motum & infringunt, & impediunt, ut plures hinc relinqvantur, quam foras abeant.

§. 17. Hujus Veneni ejectio a, nisi per pulsum fieri possit, quo omnium corporum motus perficitur, per attractionem, quam pili in educendum venenum exferere vulgò habentur, nulla talis speranda est efficacia, nam motus corpori tantum accidens, & in nullius corporis natura involutus ab extra advenit corporibus per pulsum alterius corporis in motu constituti communicatum, cum ratione concipi nequeat, quod corpus, quod a tergo est, a præcedente corpore moveri debeat vel possit, sed potius præcedens a subsequente proximo corpore æq; mobili s. in motu constituto movetur per pulsum, & sic porò multò minus constanter quiescenti corpori pro inducendo motu aliqua est efficacia, ut ita considerandi impositi pili sunt, dum quiescentia corpora nullam inducunt mutationem,



ut maneant quiescentia, sed si talis effectus ab iis induci debet, per motum alterius est quiete deturbanda sunt. Experimenti loco esse hic possunt Vesicatoria cadaveri imposita, cum eorum efficacia & motus non à se ipsis sed aliunde inducatur, hinc nil ibi operantur, quia & salis caustici cantharidum, & humorum olim transpirantium quies est, quæ quieti sic non contraria; Sed quam primum vivo imposita sunt animali, & insensibiliter per pulsum transpirantes vapores sal acre causticum agitant, & sua deturbant quiete, eoqve ipso in motu constitutum cuticulæ squamarum commissuris intruditur, inter quas acre receptum & dolorem & inflammationem causatur, sic quidam fibrillæ rumpuntur, partium subjectarum tubuli turbantur, humores circulantes appulsi sistuntur, cuticula in vesicas per pulsum elevatur, & vesicatoria aliorum adjumento sunt efficacia. Et sic minus efficaces perse impositi pili sunt, nec per attractionem nec per pulsum operantur, & si Veneni in vulnere delitesceris adhuc vis quædam motus insit, eum versus proximos impositos pilos exfereret, & tantumdem amitteret motus, quantum hisce concederet, sic motus divisus impar esset, ut eò modo omne expelleretur venenum. Unde nec similitudo s. sympathia sufficit, cum nulla associationis causa pateat, quamdiu corporibus duobus in unum vorticem alias conspirantibus, (ut salivæ & vaporum est pilis poris, aut superficie exuntium conspiratio foret,) motus deficit, aut insufficiens deprehenditur.

§. 18. Ut taceam, quanta vulneribus adveniat noxa, quando pili vel vulnere incidunt, vel inhærent, quemadmodum ejus testes sunt, qui ulcera in crucibus plus solito pilosis gerunt, & ex ijs quidam pili contingunt ea, dolor in eo, tumor & inflammatio augentur, & metus est, ne totum corrumpatur ulcus; experimentum recenlet *Langius Epist. Med. Lib. 1. Epist. 3. de chirurgorum in curanda vulnere apostematione imperitia.* p. 21. ubi sua ætate chirurgi, ne articularum ichor quem vocant **das Blüdt-Wasser** incallum effluat, pilis capreolarum, quibus ephippia equorum infarciuntur, osculum vulneris apposito spleniorum fasciculo obstruebant, quò fit, inquit cit. autor cum



cum sanies illa effluere non possit, ut subtercutanea totum perreptet membrum, tandem hoc semiputridum obstructis vitalis spiritus meatibus sphacelo emoritur. Hic igitur pili canis rabidi tantâ copiâ ad minimum cum imponendi sint, ut tegi vulnus possit, quâ facile jam cum nec ordine nec æqualis Longitudinis imponi possint, ad Spiritus irritandos ad inflammationem majorem vulneris & vicinarum ejus partium & ad moram potius veneni, quàm ejus exclusionem facient.

§. 19. Periculosum igitur pili impositi cum sint remedium, aut quod ad minimum merum mali augendi inducat, & omnino inefficax, satius esse autumo ab eo abstinere, quàm dubiâ conscientia tale quid svadere, quod in Medicina æque peccaminosum est, ut in aliis quæ optima licet, dubia tamen conscientia poraguntur. Siquidem ars Medica certiora & tutiora largitur remedia, quibus veneni morsu rabidi canis communicati vis & infringi & expelli potest.

## QVÆST. II.

*An abrasio pilorum operari possit, ut rei facilius à tormentis victi veritatem confiteri teneantur?*

§. I.

**A**D datam vel famâ sæpè fallaci, vel certiori fundamento magiæ dæmoniacæ, vel etiam alterius criminis suspicionem melius detegendam, cum per inquisitionem eò perventum est, ut suspectus vel suspecta torturæ committi debeat, & diversa ab humana indole inventa instrumenta, per quæ & variari & extendi solent dolores, veritatem extorquere nequeant, receptus mos esse videtur, ut pilorum abrasionem per totum inquisitioni corpus instituant, quâ ad veritatem in torturâ postea dicendam disponi dicuntur rei.

§. 2. Ad modum abrasionis pilorum si attendamus, ea sequenti modo perficitur. Quando nimirum apparet reos & potissimum Sagas absq; sensu dolorifico esse, vel ut *Ambrosinus de mod.*



*Mod. form. Procef. inform. Lib. 4. & Sp. 7. n. 5. loquitur; in tormen-  
dormire, aut ijs corpus intumescere, vel spumam ex ore profluere &c.  
ut hinc tormenta & magnitudine & numero insigni instituta  
nihil proficiant, & potissimum sagæ per verbi divini Ministros  
sedulo admonitæ, ut cœderi Diabolico renuncient, & veritatem  
dicant, ut secum nihil habeant, quod doloris sensum adime re  
posset, Vestibus exuuntur rei omnibus, & deinde Capilli & om-  
nes per totum corpus etiam in secretioribus partibus crines,  
si foemina fuerint à foeminis, si viri à Viris abraduntur, vel flam-  
mâ ardente comburi debere Criminalistæ svadent, & tunc tor-  
tura subje&ti veritatem facilius confiteri dicuntur. ut eum mo-  
dum legimus in *diff. inaugurali Juridic. Dn. Branau Giesse Hasso-  
rum habita de Legitima Maleficos & sagas investigandi & convin-  
cendiratione p. 117.**

§. 3. Multis hoc institutum placet illudqve tanquam  
variis experimentis comprobatum habent, hinc inquisitor Cumanus  
in comitatu Barbiæ versus Mediolanum An. 1485. eam cum  
successu mandavit, *vid. Delrio disquisit. Magic. lib. 5. sect. 9.*  
und hat Cumanus 41 Unholden verbrennen lassen/wel-  
che alle nachdem Sie beschoren und verkleidet gewe-  
sen/ungefoltert die Wahrheit gejaget. *vid. Johannis Bodi-  
dini Dæmonomania cap. 22. p. 318.* und auff solche Weise  
habe der König Domitianus den Erz-Zauberer Apol-  
lonium von Thyane entkleiden und bescheren lassen/  
& Philostrato lemnio refert *idem Bodinus cit. loc. Ambrosinus abra-  
sionem pilorum solam potentissimum esse remedium & contra  
remedia per reos ad torturam adinventam sapissimè se exper-  
tum esse docet Lib. 4. de mod. form. Process. inform. cap. 7. n. 6. p. 215. &  
Dambauderius in Prax. Crim. rer. cap. 37. n. 21.* lectu dignissi-  
mum recenset exemplum: Ubi malefica tortura tradita & acri-  
ter contorta nonnulla eaqve leviuscula delicta confessa fuit,  
insignia verò maleficia fortiter negavit, & quanquam novis in-  
dictis gravata sæpius & hinc tribus vicibus vehementissimè con-



contorta, nihil tamen confessus est, sed sustinuit cruciatus vel  
risu, vel somno, imò digitorum complosionibus Senatum & tor-  
torem irrisit, dicendo: *nihil in me valebit vestra crudelitas*, usque  
dum quarta vice postquam in omnibus & obscenis partibus  
sic per totum corpus crines omnino abrasi fuerunt, tortura sic  
commissa, omnia nudè facta est, & rogata, cur prius fateri nolu-  
isset, dixit: nisi à me omnes crines atque etiam schedulam inter  
crines repertam abstulissetis, nunquam à me aliquid perquirere  
potuissetis, ut prolixius id legi potest cit. loc. Huc quoque facit  
Sententia *Johannis Bodini in Demonomania cap. 22, p. 318*, reperti-  
bilis. **Siehet man/dass die Unholden nichts bekennen/ da  
soll man ihnen die Kleider verändern/ und alles Haar  
mit einander abschneiden / und alsdann befragen. &  
Delrio pilorum abrasionem rite fieri, ne maleficium lateat, pro-  
bat *disquis. Magic. Lib. 5. Sect. 9. p. 765*.**

§. 4. Verum enim verò hisce adductis autoribus planè  
contrarii reperiuntur alii & admodum iis se opponunt to-  
tum hoc institutum rejicientes, inter illos sunt *Job. Seiffert.*  
in seinen Gewissens-Process gegen die Hexen p. 104.  
*Bernhard Waldschmidt* in der 14ten Predigt von der  
Zauberey p. 341. & adducit verba *Antonii Pratorii* in  
gründlichen Bericht von der Zauberey cap. 3 p. 123. quæ  
& *Freundius* in seinen Gewissens-Fragen Qv. 251. pro-  
lixè sequentibus adducit. Die Hencker bescheeren sie  
(die Hexen) und sengen mit einem Licht die Haare auff  
und in der Haut hinweg/nicht allein am Haupt und  
unter den Armen/sondern auch an heimlichen Orten:  
welche an frembden Menschen anzugreifen im Gesich  
bey Hand abhauen verbothen und gestrafft. Deut. 25.  
11, 12. Sie wenden vor der Teuffel sihe den Hexen in  
Haaren und Schaam/den wollen sie vertreiben. O des  
armen Teuffels / der sich mit so kleiner Lichts-Flamm  
und Rauch verjagen lässt / das doch ein Kind aus-  
blasen

C



blasen könnte? Vielleicht thuts aber das Licht nicht/  
sondern ein stärkerer Teuffel, den die Hencker bey sich  
haben; Und wie/wanner inwendig im Bauche säffe/  
dahin scheren/Licht/Flamm/und Dampff nicht kömft?  
O des abergläubischen schändlichen Wercks! und wie  
soll ichs nennen? Göttlich ist nicht/ Englich ist  
nicht/Christlich ist nicht/ (den nur daß die Hencker  
in alle Löcher riechen/ wie die Hunde/ und andere  
nachgucken wie die Affen) so ist gewiß teuflisch: ja  
teuflisch/ und nicht menschlich ist: Es ist überaus  
große und schändliche Zauberey; hinc nec Sprengerum  
hoc remedio ob inuercundiam uti uoluisse refert *Delrio dis-*  
*quise. Mag. c. Lib. 5. sect. 9. p. 765.* porro in *Tractatu Cautio Crimina-*  
*lis actio Qy 31. p. 116.* Pilorum detonsio sive combustio frustra  
nea dicitur. & nihil tale quid, quod in crinibus quaesitum fuit,  
unquam inventum. & quando respondet Dn. Reich. ad qua-  
sitionem: **Obs siehs gezeime/ daß man die Gefangene**  
**vor der Tortur beschereen läffet?** Responsio ejus nega-  
tiua est cum multis rationibus, & in actis magicis bey seinen  
Unfug der Zauberey reperitur exemplum notabile p. 736.  
ubi cuidam malificæ à carnifice pili abradi sunt, attamen nihil  
ea confessa est, nec unquam torturæ subjecta Lacrymas fudit,  
sic omnes contrariantes eò collimant, quod institutum hoc in-  
certum sit, ignominiosum, & diabolicum.

§. 5. Hanc vehementem objectionem uerò ut remo-  
ueant s'ualores abrasionis pilorum, certis cancellis & circum-  
stantiis eam includunt, quibus omne, quicquid superstitiosum  
haberi uelit, removeant, hinc expresse protestatur Delrio, pilo-  
rum abrasionem non eo fine institui, ut credant robur corpo-  
ris & animi fortitudinem per eam perire, exemplo samsonis,  
sed ut tuti sint, ne maleficium lateat crinibus inspersum. *vid. ess.*  
*Delrio disq. Mag. Lib. 5. sect. 9.* nam sæpè inter capillos sive alia-  
rum partium pilos abscondi quid posse, repertæ sub iis ali-  
quando schedulæ mirificis literis notatæ, porro membranulæ  
diuer.



diversis characteribus insignita hinc inde abscondita probent, quibus immunes à doloribus rei servati sint, ut sic apud Sagas etiam iis in locis commorari tunc Diabolus non posset, hunc eam laudant, & datâ occasione institui jubent, imò ne unctio quâdam adit veritatem impediens, totum corpus aqva calidâ ablueri vadet *Deirio Disq. Mag. Lib. 5, sect. 9. p. 768.* Et sic porro avertere student, ne in reis pilos abraderi in verendum & libidinosum vel dici, vel esse possit, eò, quod in tæminis per foeminas, & in Viris per viros abrasionem pilorum institui jubeant, quia sic in simili sexu contra verecundiæ limites peccari non posse persuasi sunt, sicque sine omni culpa, modo licito in maleficis pilos abradi posse autumant.

§. 6. In contradictoriis sic veritantes æque deprehendimus Autores, ut tales sunt, quando de Sagis an dentur? inter eruditos quaritur. Ego hodiè in neutrum inquiri, quia nec institutum id fert, nec abrasio pilorum in sagis tantum, sed & in aliis maleficis non contentibus instituitur. *vid. Ambrosius de mod. form. Process. Inform. Lib. 4. n. 6. p. 219. & Zacch. Quest. Med. Legal. Lib. 6. Qv. 3. n. 12. p. 528.* sed tantum in Physicam inquiram rationem ab omni parte liber, quâ Pilorum abrasio operari possit, ut rei faciliè & instinctu quasi spontaneo veritatem dicant.

§. 7. Abrasio igitur pilorum per se quidem nil mali in recessu habet, ut ut eorum frequens rasura homines effœminat reddere dicatur apud *Levin. Lemnium de occult. nat. mirac. Lib. 4. c. 8. p. 4.* Tiberio in capillo tondendo servabat interlunia sine noxa *vid. Plin. Hist. natural. Lib. 16. cap. 39. p. 292.* & sic quoque sine exprobratione & absq; vitio Absolon quotannis semel crines tondere solebat, ut traditu *2 Reg. cap. 14.* aliis etiam gentibus, Græcis, Syris, Arabibus, Veteribus Francis aliisque; & barbaris idem mos erat, quò capillorum molestiam removerent, nec functiones inde impedirentur animales. *vid. Salmastii Epist. de Casar. Vi. ror p. 33. 36. & 58.* Præterea pilorum abrasio signum sive studium Mundicie est, ut apud nos certis temporibus nostros committimus tonsoribus Crines atque barbas; quem barbam radendi morem primus apud Græcos introduxisse fertur Alexander



Magnus, ut *Demostero refert Geierus de Lutu Ebraorum. cap. 8. §. 4. p. 192.* Ad singularem hanc munditiam potissimum Turcae respicere videntur, ubi utriusque sexui solenne est, bis vel ter quotannis ex omnibus & secretioribus corporis partibus pilos abraderé, quo impediatur impuritates congregatas non facile sic lotioni per aquam cedentes, ut frequenti corporis lotionem ex aqua gaudent. *vid. Munsteri Cosmograph. p. 1468.* Ut taceam, quod olim alii expeditioris pugnae causa pilos abradebant, ut *Plutarcho refert Ambrosius Lib. 6. de Militibus Alexandri Magni*, qui ob crines in praelio cum Darii militibus inde succumbentes, iussu Alexandri M. omnino postea tonsi, victoriam *é secundo deportabant praelio. alii v. ex religione tondebant crines, ut ea ordine recenset Geierus cit. loc.*

§. 8. Interim tamen quandoque pilorum abrasio ignominiosa est, ut poenae loco olim Germani eam utebantur, referente id Tacito; dum scilicet Franciae consuetudine uxor adulterii convicta tondebatur, & capillis abscissis, vestibusque in circuitum relectis ignominiosè per vicos circumducebatur, & poena stupri erat, securi barbas publicè huius flagitii convictis praecidi, atque illos ut infames dimitti solere. Non dicam, quod fures in Longobardia à tonsura olim noscerentur, apud Indos cum Rex tonderi aliquem iusserat, tanquam extrema ignominia habita sit. Porro apud Graecos & fere ubique in oriente temporibus posterioribus hic mos magna cum religione servatus sit, ut capillorum & barbae per ignominiam resectio non vulgare supplicium esset, & quod Rex Amonitarum cum suis expertus sit, quanto zelo ignominiam Legatis Davidis per tonsionem barbae illatam vindicabat Rex, cum haec & plura recenset *Camerarius bor. subciv. cent. 1. p. 166. & 167.* & *Geierus é Salmutho refert*, quod secundum jus feudale Saxonicum, pro majori aestimandum injuriam, si quis alteri crines aut barbam expilasset, quam si pugno vel manu eum percussisset, *vid. cit. aut. cap. 8. §. 4. p. 197.*

§. 9. Porro inter recensita ex abrasione pilorum oriunda indicia absque contradictione veteribus consuetum reperitur signum subjectionis, hinc apud Vetusiores tam graecos quam



quam Latinos omnibus servis caput radebatur, ut & *Pier Valer.*  
*Lib. 32. Hieroglyphicor. c. de coma* referunt *Zach. Quest. Medic. Leg.*  
*Lib. 6. Tit. 2. Q. 3. n. 12. p. 528.* & apud Francos Veteres idem eo  
sine factum recenset *Camerar. bor. subcisiv. cent. 1. cap. 36. p. 165.* Imo  
in sacris legitur *Deut. scil. 21. v. 12.* quod si mulierem captivam  
ducere vellent Israelita, prius captivæ caput erat radendum. At-  
que sic non nisi iis, qui regii generis erant, licebat alere co-  
mam, & profapiæ Regiæ masculis hoc quasi honoris & præro-  
gativæ indicium tribuebatur, ut in longo & intonso capillo vi-  
derentur, reliquis è Vulgo subditorum passim circumtonsis,  
*vid. Salmas. Epist. de Caesar. Viror. p. 53.* & Regina Chrotilde ne-  
potes regiæ dignitati præ filiis destinans lubentius si ad regnum  
evehì non possent, eos videre mortuos volebat, quam tonsos,  
cum filii gladium & forcipem pro nepotibus matri eligendū  
offerrent. *vid. cit. Camerar. cit. libr. p. 166.* hinc & signum fortitu-  
dinis erat pilos alere, ut *Pier. Valer. lib. 32. Hieroglyphic. cap. de*  
*Coma*, testatur, & nullum Heroum, qui bello trojano interfue-  
runt, absque comæ laude relinqvebat *Homerus. vid. Zach. Quest.*  
*med. Leg. p. 528.*

§. 10. Pilorum abrasio etiam olim ad indicandum in-  
signem Luctum subinde instituebatur; quemadmodum so-  
lennis Ebræorum & Romanorum Veterum hic mos erat, ut in  
conjunctorum funeribus comis rasis comparerent Luctuosis  
hinc apud *Homerum Odys. Lib. 4.*

----- Indignor nec quicquam;

*Elere quicumque mortuus fuerit, mors alium & fatum obierit:*

*Hoc nimirum munus est, solum miseris mortalibus.*

*Tondereque comam, profundereque Lacrymas à genis.*

*vid. Zach. Quest. med. Leg. Lib. 6. p. 528.* & de Egyptiis *Ossiridem* anti-  
quis luctibus plangentibus referunt, quod radant capita, ut mise-  
randum casum regis sui turpitudine dehonestati desceant capitis,  
imò Persæ non solum sibi ipsis conjugibus & liberis, in luctu  
tonlebant comas, sed insuper etiam jumenta atque eqvos similit  
deturbabant modo, ut hæc ex aliis refert *Geierus de Luctu Ebræor.*  
*cap. 8. S. 5 p. 199.* & Romanorum matres filiis & sorores fratribus



amissis deposuisse comas cadaveri rogo sive sepulchro imponendas & Kirchmanno recenset *cit. Geierus*. In sacris non aliud præbebant signum, siquidem nautas ob Tyri excidium alta voce ululasse, caput cineribus conpersisse & calvitium quoque sibi induxisse legitur *Ezech. 27. v. 31.* & Moabo gravem habituro luctum prædicatur Calvitium super omni capite omnisque barba succisa & diminuta, *Jes. 15. 7.* Philistæis infortunium pariter per ejusmodi calvitium denunciatur, *Jer. 47. 5.* & Jobum suum caput tonsisse post terrores & angustias maximas legitur *cap. 1. v. 20.*

§. 11. Denique Pilorum abrasione etiam omnem admi vigorem referunt autores & fabulantur Poëtæ. Sic de Didone *Virg. lib. 4. Æneid.*

*Sic ait, & dextra crinem secat, omnis & unâ  
Dilapsus calor, atque inventos vita recessit.*

de quò pluribus legi possunt. *Zach. Quæst. med. Legal. Qu. 3. n. 12. p. 528.* Hæc & reliqua autem quæ adduxi, omnia tantum eò sine adducta volo, quo pateat abrasionem Pilorum præter necessitatem & contra liberam voluntatem factam ad animum elatum supprimendum, imò ad eum abjiciendum fuisse institutum, vel animum jam tum abjectum indicasse, cum alias nec pœna, nec subjectionis nec Luctus indicium dici potuisset.

§. 12. Atque sic cum pilos abraderi in reis incipiunt, ut ut eorum animi abjectionem per eam non intendant inquisitores, meo tamen judicio ea emanere non potest, sed hæc facilis in reo animum despondendi anta est, nam primùm, quod ad id inopinatò ipsi eveniens sequitur, & periculum præ se ferre hinc videtur, est animi fluctuatio, metus species, ubi anima in dubia lance inter duplicem vel affirmandi vel negandi actionè tenetur, ut initio nullam exequatur, sed fluctuet ex nimio bene & optimum agendi desiderio *vid. Cartes. de Pass. anim. Part. 3. p. 74.* ait cum ulterius ea per totum corpus perficitur, facilè jungitur Pusillanimitas, Languor animæ, qui tandem in stuporem sive perturbationem, quam consternationem vocamus, mutatur,  
& VO



& voluntatem non tantū ab actionibus sic utiibus abducit, sed cum mens hoc ipso, omnem imminentibus per torturā denuō subsecuturam malis resistendi facultatem amissam metuat, aut iudicet, ejus officium segnescit, & corpus simul occupatur, vultus pallet, partes rigidescunt, sanguinis motus sufflaminatur, inō ad merum ipsum sanguinem sua exui posse purpura & albescere refert *Excell. Pechlin. obs. Physico-Medicar. libr. 3. Obs. 19. p. 443.* & alia plura seqvi symptomata mala testatur *idem.* Atque sic stupescens mens ad se non redit integre, priusquam non aliquantulum spei liberationis capere potest, ad quam porrō faciunt jam perpeffi ā tormentis dolores, nam cum experimentum illud nonnisi pro obstinatis reis sit, qui prius jam torti & visi sunt tormenta floccitacere, ob atrocitatem perpefforum tormentorum, & post abrasionem pilorum succedaeorum, si non majorum eorundem tamen eō facilius consternantur, & ad veritatem denegandam redduntur inconstantes, ut ita optime sentitur in *Zach. Quest. Med. Leg. p. 528.* & talis effectus ē corpore in animam ex mutuo utriusque cum invicem fluit commercio, dum ex eo & mutua mentis & corporis fit actio & passio utriusque mutua juxta legem conjunctionis beneplacito Dei ita firmata, & ad unicum ultimum harum in hac vita divortium usque immutabilis.

§. 13. Et quanquam negari non possit quod per abrasionem pilorum per totum corpus omnimodam molesta frigoris excitetur sensatio, ut optime id legimus in *Zach. Qv. Med. Leg. p. 528.* siquidem id unicuique constat, qui pilos capitis radi curat, sibi que ex voluntate parat superficiem capitis depilatam, quæ eō major erit, cum aliis in locis non minor fiat calvities; ast hæc frigoris molestia necessario magnitudine variat, prout anni constitutio magis ad autumnum & hyemem, quam ad ver & æstatem vergit, prioribus enim anni temporibus cum ætheris motus magis rectilineus simul vehementius feriat cutem, cutisque fibrillas nervaceas pyramidales, easque cum fibrillis proximis ad quietem plus solito urgeat majorem, quam cum variis veris & æstatis tempore interfluentes copiosissimi vapores

res



res ætheris pressionem ad lineam rectam interceptant, ubi sic  
minori vi quies fibrillarum urgetur, frigoris gradus erit major.  
Verum concipias reum mediâ hyeme eaqve stupendâ abrasis  
undiq; pilis torturæ destinatum, non diffiteor molestissimum  
in partibus depilatis ipsi fore frigus; sed quod inde obligeatur  
ut statim veritatem dicat mihi persuadere non possum, cum  
& hic quadret Terentii: Primi aeris vel frigidissimi cum de-  
pilatis partibus coitio tantum acerrima, nam paulo post non  
amplius tanto gradu molestum erit frigus, & partium frigori  
expositarum obtusus succedens sensus luculentissimum ejus dat  
experimentum; Nam non satis dolorum parit, nec tales, nec  
eos superantes, quos jam tum perpessi sunt in præcedanea tor-  
tura rei. Experimentum quidem tam certum est, quam quod  
certissimum, quod torturæ commissis dolores in tantum auge-  
antur, ut non ulterius sint ferendo & mortem potius expetant,  
quam ut acerbissimos illos dolores amplius patiantur, quando  
carnifices delinquentium artus quam validè possunt, ex-  
tendunt & guttatim frigidam instillant aquam, alia tamen  
hic quam in depilatis circumstantia est, nam in torturæ subje-  
ctis corporis fibrillæ eousque jam tensæ sunt, ut in ruptionis  
insigni periculo consistent, & per affusam frigidam in majus  
ruptionis periculum præcipitentur, aut in depilatis nulla ejus  
periculosa fibrillarum tensio est, sed ab aere ambiente tantum  
liberius feriuntur fibrillæ, naturaliter & debito modo tensæ, sic-  
que non nisi insoliti quid percipit mens, ad quod initio quidem  
mens magna cum attentione attendit, & afficitur, sed facili morâ  
conversum non amplius illud curat, quod quotidie experimur,  
quando attendimus ad stupendas anxietates, quibus cives, hostis  
igne & globulis ignitis in obsidione angentur, primis tantum  
diebus eas ita habent, dum ad illa quæ ab hoste perficiuntur  
tanquam ad peregrina & inconversa attendunt, sed brevi mora  
opus est, sic non amplius ab his omnibus afficiuntur, ad mini-  
mum non tanta mentis acerbitate & metu hæc omnia sustinen-  
tur, potius floccipendent ea, dummodo levis liberationis spes  
oboritur, aut certa fiducia ipsis impressa non vinci ab hoste civi-  
tatem



tatem posse. Idem à Pilosum in reis facta abrasione mihi pro-  
mitterem, ut ut pusillanimes & consternati rei sint, & exinde,  
(ut §. 12. dictum) in neganda veritate inconstantes, nisi post ra-  
suram illicò ad torturam denuò sustinendam ducerentur, ipsi-  
sqve sub ipsa abrasione pilorum metus de ea injiceretur, nam sit  
ita, ut in novâ calvitie molestissimum percipiant frigus, ut inde  
etiam totum rigeret corpus, imprimis omnibus cum exuti vesti-  
bus sint, quis non patienti id ferret animo, modo non novus  
isqve major partium metuendus dolor esset, simili prorsus mo-  
do ut aliquis in itinere constitutus molestum frigus lubens pati-  
tur, cum noverit, brevi in hypocaustum calidum se adventu-  
rum, nam reliquis in depilatis locis ob vicinas partes eos tege-  
ntes aëris accessus si non prorsus excluditur, tamen infringi potest.

§. 14. Non itaqve frigoris molestia per pilorum abra-  
sionem inducta operatur confessionem, sed pusillanimitas & fa-  
cilis ejus comes consternatio in reo excitata. Nam abradantur  
Pili torturæ inexperto, effectus deficiet, & prius dolores expe-  
rietur, anteqvam dicet veritatem, imprimis si animam habeat  
dispositam ad agendum viriliter in suppressione rerum, quas  
peregit, quod animositatem vocamus vid. *Cartes. de Pass. anim.*  
*part. 3. p. 77.* aut ad res eas sustinendas quæ magnum periculum  
habent, quod audacia dicitur. vid. *Cartes. cit. loc. &* quanquam au-  
dacia sequi soleat metus aut etiam desperatio, quamdiu tamen  
sperat reus vel certò credit finem dolorum, quem intendit, suc-  
cessurum, omnibus difficultatibus à tortura superaddita occur-  
rentibus fortiter & constanti animo resistet, imprimis si ejus  
astutiæ aut si mavis, consilii est, ut præmeditatione se ad omnes  
eos eventus præparet, quorum metus eum producere potest.  
nam sic imminuit consternationis causam, inopinatum scilicet in-  
cursum, & præcaverit consternationi vid. *Cartes. cit. lib. p. 79.* ab hac  
si liber, ferendo est & molestiam & dolores sæpe summos,  
potissimum, si negandi propositum à recta dominante ratione  
suffulciatur, sic facile cognoscerit nullum malum esse, ex quo ra-  
tionis ope aliquid utilitatis percipi non possit. vid. *Cartes. Epist.*  
*Part. 1. p. 51.* & præterea hac dominante ratione affectus omnes  
D  
sup



supprimi posse; Et quanquam merito nil omittat gestibus & clamoribus, ut cruciatus torture sustinendos, vel re ipsa sustinens mitiget, non tamen eos astimabit, si eorum non fecus quam comœdiarum exitum spectet, vitam scilicet temporalem servare, (quam multi rei pro summo bono habent,) & sic ut dixi dolores sentiens se in illis patienter ferendis exercebit, ipsique erit volupe, suas experiri vires & ex cruciatibus suis acerbiſſimis animi voluptatem arcanam percipiet, quod scilicet & fama restitui & vitam servare possit; ut hæc ex præceptis contra res adversas *nobilis renati des Caries Episs. Part. I. p. 56.* datis cum fundamento deduci possunt. Et in his omnibus potest perseverare, quamdiu Cogitationes suas à periculi consideratione avertit, attendendo sanæ rationi dominantis, propter quam multo major in resistentia & deneganda veritate securitas & honor sit, *vid. Caries de Pass. anim. part. 3. p. 92.*

§. 15. Sic sæpè deficiet operatio imprimis si ipsa corporis textura animæ animosæ adjumentum præbet, nam id omninò tenendum est, quod corporis nostri fibrillæ, ex quibus nonnisi consistit corpus, suâ, quam habent, diversa mollitie & laxitate aut duritie & robore, ut modificant diversa hominum temperamenta, ita & in animæ operationibus diversam vim cautentur, nam quorum fibrillæ soliditatem debitam obtinent, minusque molles & delicatæ sunt in illis dolores, ut voluptates, minus agunt, seu illi dolores non tanto percipiunt gradu, nec animi passionibus hominumque conviciis terrentur, aut commoventur, sed ipsis ut robusti animi & magnæ constantiæ virum decet, obviam animosè & fortiter eunt juxta, illud:

*Tu ne cede malis, sed contra audentior iso  
Quam tua te fortuna sinet.*

*Vid. eruditum Baglivi specimen de fibra motrice p. 179.* siquidem in iis solito major corporum eas commoventium motus requiritur, antequam ita tenduntur fibrillæ & comprimuntur, ut in summum incurrant ruptionis periculum, absque tali autem periculo nec valdè tristis menti oboritur sensatio, in qua dolor dolo-



dolorisque diversus gradus confisit. Et sic è textura corporis firma seu solida minusque delicata reus simul magnos perferre potest cruciatus, quod quotidiè experimur, dum malefici bis vel ter torturam sustinendo crudelitatem illudunt, ut inquisitores id quoque mirentur & exclament. **Der Keel ist sehr hart.** Quemadmodum etiam in aliis ejus texture hominibus reperimus, qui sic nec in corporis nec animæ dotibus facile læduntur, idque exprimere solemus: **Er ist ein harter Mensch/er hat eine harte Natur/ein kleiner Rauch beisset ihm nicht/** ut hinc manifestò pateat, effectum per pilorum abrasionem ad confutendam veritatem intentum sic deficere & posse & debere.

§. 16. Ut autem omnium hominum non una eademque fibrillarum corporis textura est, sed ad individua variat, ita in quibusdam fibrillæ sunt delicatæ, laxæ & molles. Levi sic tantum motu indigent, & mediocris earum tensio ad ruptionis periculum, idque magnum agit, ut hinc leves dolores cruciatus insignes ipsis sint, tales dicimus germanicè *weichtiche Leute*, & ejus sunt simul indolis, ut levi de causa animi passionibus agitentur, dejiciantur, lugeant, & desperent facile; Valde meticulosi sunt & consternantur sæpè sine causa, in talibus sic pilorum abrasio, quia semper pejora metuunt, ad veritatem confutendam conferre possent, nam ejus indolis homines tugam cruciatuum salubriorem habent, quam per eos servare vitam, quia metus & Pusillanimitas non permittunt tempus insummi deliberationi, siquidem inopinatò ipsis evenit pilorum abrasio. Et sic quilibet facile in foeminis hoc experimentum procedere putabit, nam delicatæ texture ordinario habentur, ut hinc quoque imbecilles & meticulosi ut plurimū habeantur, & ex eo tonte, nifallor & in jure beneficia quædã præ aliis habeant, sed scias velim & dari Viragines, quæ animositate Amazonibus & æquales adhuc hodiè sunt, sæpè eas superant, in iis fallax æq; ac in Viris animosis esset experimentum. Hoc ipse *Ambrosius* fatetur in *Mod. form. Process. in format. Lib. 4. cap. 6. n. 2. P*



att. quilibet ubi plures rei contra quos ad torturam devenire  
 oportet, prius a tormina incipiendam eam svadeat, sic & pili a-  
 brasionem, tamen simul addit, quod aliquando & id fallat. Et  
 exemplum §. 5. adductum ubi Maleficia per carnificem depi-  
 lata & duriter contorta, nihil confessa est, id aperte testatur.  
 Et si aliquando aliquid confitentur, non pilorum abrasio, sed rei-  
 terata toties stupenda tormenta id efficiunt, dum rei dolorum  
 tandem pertæsi & debilitati sunt.

§. 17. Atque ut hinc paucis omnia complectar, & eâ quâ  
 alii, utar Philosophandi libertate, ingenuè dico, cum pilorum  
 abrasio per totum corpus in reis instituta incertum & fallax  
 fit institutum, & per se nil operetur, nisi tantum occasio sit, quâ  
 in metum & consternatione seducantur rei, quâ tunc solum con-  
 fitentur, eaque aliis licitis modis in reis excitari possit, ut varios  
 receatet *Bodinus* in Dæmonomaniâ, quod tendunt varia tortura  
 genera, ut hinc quoque juris Consulti utantur territione reali, quo  
 rei animum despondeant, reddantque meretriciosum, majore ea  
 fundamento intermittitur, quâ instituitur, siquidem supersti-  
 tionem inde hactenus susceptam & ipsi junctam daretur terminus,  
 & quævis evitari sic posset occasio, incastitas concipiendi cogita-  
 tiones, quia per quam facillimum est, etiam infimili sexu contra  
 Verecundiæ limites peccare, quod æque, ut alia pecca-  
 minosa, evitant merito DEUM amantes.

S. D. G.





Rostock, Diss., 1704-05

ULB Halle 3  
004 505 76X



Sb.


f











B.I.G.

Farbkarte #13



ARIS MEDICA,

# CINÆ ECIMEN, TIONIBUS.

16

*impositione Vulneri per ejus  
a tenendum ?  
t, ut rei facilius à tormen-  
teri teneantur ?  
UM,*

1705, 3.

DEO,  
E,  
GNIFICO,

## ERNESTO ERO,

D.FACULT. SENIORE  
ET POTENTISS. DUCIS  
ICI ARCHIATRO,  
E ac HOSPITE SUO,  
*ultu atatem prosequendo;*  
MAJORI  
II MDCCV.

VISITATIONI SUBMITTIT  
RED. Germañ/  
NSIS.

PRINC. & Acad. Typogr.

45